

612.
1949.
Reg. 1395

DE JURE

SACRAE

REGNI HUNGARIAE

C O R O N A E

IN TERRAS

RUSSIAE RUBRAE.

Alex. Karolyi

PESTINI,
TYPIS TRATTNER-KÁROLYIANIS 1831.

Omnia-tanta debet, Publico, quanta potest.

Obligationis hujus intima persuasio, sociusque nisus, tum Altissimae Resolutioni, tum vero Patriae desiderii proxime praeteritis Regni Comitibus manifestatis — quantum possem, — pro viribus respondendi, me eo animavere, ut is, qui disceptationibus Historico-Diplomaticis me minime parem sentio, Jus antiquissimum Sacrae Regni Coronae deducere susceperim. Confidens, rei ipsius, quam occipio, bonitatem, diplomaticae sagacitatis defectum, abunde suppleturam. In Historia Juris non sic, ut alibi, forte etiam Conjecturis probabilibus in defectu mathematice verarum probarum saepe dum, et quando aliquantulum supplere non nefas — hic, ubi de factis dumtaxat agitur, — talia sola, sunt **Authoritas** — ad **Historiam Factorum** igitur, et **Facta** ipsa me provocabo, quae, vel e scriptis autoritate donatorum **Historicorum**, quorum ubi tantum poteram, constructionibus, verbisque, et expressionibus retentis, excerpserim, vel quae e **Diplomatibus** per eosdem ibi adductis, partim ex originalibus, partim vero eorundem authenticis copiis hausi. Quare, quae, et ubi legerim? extemplo ubique provocaturus — — si inter plures collatorum **Autho-**

rum observassem differentias, has criticae, quantum valeo, subjeci, horumque opinionem secutus, quorum vel probatior esset fides historica? vel minor pro assertis scribentis interessentia. Igitur sine metu gravaturae Recensionis Historicorum, vel nefors Diplomatarum, scriptum, quod nisi Amicus me animasset, scrinia mea haud relicturum erat, his Paginis Lectorum miti Judicio, fateor, non meo consilio substerno. Orans, ut etsi juste omne meritum scribenti, opellaeque negarent, reflectentes per me haec nisi in compendium redacta exstitisse, quae probatiores uberius demonstrassent, voluntatem tamen ipsam juxta virium exigentiam ex animo votis Patriae respondendi non demeriti loco habere dignentur. Quam felicissimum me reputaturus, si id, quod debilis ego modo intendissem, alii exemplo meo excitati non alium, quam quem scribendo sincerum habuissem finem, supposituri, plura valentes, et audentes, in hac, vel alia materia Patriae praestare properaverint.

Dabam Pestini die 19. Martii 1831.

*Andreas Dessewffy de Csernek et Tarheö,
S. C. et R. Ap. Majest. Camerarius.*

Hunnorum exemplum Gens Hungara imitata, iterum per Provinciam Russiae Susdal, et Civitatem Kiow juxta Thurotzii Anonymum Duce Almo traducta est. *Vid. Steph. Katona Criticae Regum Hungariae Historiae Tom. I. paginam 63^{am}* Scriptores in Annis, quibus hoc factum, inter se differentes sunt. Nestor enim Saeculo XI. vivens, Ugros Anno post Christum 898. Kiow transiisse, et ad Boristhenem consedissee dicit, dum Anonymus contra eosdem Anno 884. Asia egressos statuere mavult. Nos, si cum Cl. Pray Authore dignissimo authoritate, opinionem prioris, Decade tardiozem, ac Hungaros quatuor Annos in hoc itinere probabiliter extraxisse credamus, donec tantarum Terrarum spatia emetiri, Ruthenos, et Cumanos vincere, priorum Provincias subjugare, Kiowiam obsidione cingere, Ducesque adversos ad deditiorem, et tributum annuum stringere potuerint, concedamus — profecto, Annus occupationis per Hungaros Terrarum Russicarum, vel Ruthenarum, seu Rossiae Rubrae quae constitit, Terris, Volhiniae, cum Palatinatibus Kiow, Braclaw, Kaminiec, Lusc, Chelm, Belcz, et Lemberg, certissimus 888^{us} statuendus. *Vid. ibid. pag. 64 — 67.*

Almus relicta brevi tributaria prout supra attactum per se reddita Civitate Kiowiensi secundum Duneczium (Tanaim minorem) et Boristhenem, Orasque Euxini, usque Bogum unius diei circiter ab ipso Kiow distantia ad Urbem Sarcel (forte Sárhely) Hungaros suas Sedes figere jussit. *Ibid. pag. 77.* Fama subjugatorum Kiowiensium Russorum, bellicaeque virtutis Hungarorum metus, vicinum Ducem Lodomeriae Wladimirum, vel Wladimirum (a quo nomen Provinciae haesit) percellentes, eo determinavere, ut omnem resistantiam irritam existimaret, muniisque oblatis Almo obviam processerit, eundem Dominum suum salutans, *hic Portas Residentiae suae Halicz* (a qua nomen Galliciae) *aperiens se, Principatumque suumpactati annui Tributi oblatione Hungaris obnoxium effecerit.* Almus cum suis isthic per unum Mensem carpsit quietem, sine ulro sanguinis effusione antiquissimo omnium Acquisitionum titulo, Jure quippe fortioris *sibi, successoribusque suis Provinciarum Halicziae, et Lodomeriae Dominium asseruit Anno 888. vid. ibid. pag. 99.* Bellicosus occupationibus nutritae Genti quies invisa — quare subjugatis Kiowiensibus, Tributariis Haliciae, et Lodomeriae Provinciis redditis, ulro occupando versus Pannoniam procedendi, Hungari animum adjecere, mox montes Carpaticos transcendentem, modernumque Comitatum Ungh ab iis forte sic nominatum veterum Cumanorum sedem 889. irruentes, retentis Russicis occupationibus consede-

runt. In idem tempus incidit adventus ad modernam Hungariam Antenatorum nostrorum, quo secundum Porphyrogenitum (*conf. Russ. Tom. I. pag. 14.*) eosdem aliquamdiu in vicinia urbis Kiowiensis ad Boristhenem, Annis tribus cum Populis Császaris dictis habitasse legimus, *Vid. Kat. Tom. I. pag. 108. et seq.*

Quid per Hungaros in Russia Rubra factum sit usque tempora Belae? neque satis constat, neque satis certum est. Id unum maxime verosimile Gentem nomadicae vitae asuetam peragrans mox hanc, mox aliam tributiarum Provinciarum repetito reditu sub Dominatione sua retinere novisse, donec perpetuum Juris exercitium in eadem Bela Rex Hungariae Anno 1185, coronato jam in Regem filio suo Emerico (Henrico) in Hungaria, alterum filiorum Andream, Juvenem ferventis indolis devicto Wlodomerto Duce Haliciae Dominum designando, induceret. Cromerus, cujus narrationes saepe sola dispositione scribentis nituntur, Andream turpis modi Haliciae captae incusat, sed quia talismodi criminis nec quidem coevus ferme scriptor Bugufalus Episcopus Posnaviensis Saeculo 13. vivens, ex quo Cromenus narrationes suas hausit, meminisset, — *vid. Sommersb. Tom. II. pag. 48.* sugillationem fuisse credendum. Isti enim legitur quidem, Wlodomerium Haliciae Ducem per Casimirum Poloniae Regem solio turbatum, huicque sororinum suum Romanum substitutum; dejectum Wlodomerium ad Belam Hungariae Regem pro auxilio im-

petrando confugisse, quem *Jus suum* favorabili adeo occasione se porrigente renovare volentem, usum, exulem recurrentem ne filio Andreae Domino Russiae Rubrae designato, praejudicare possit, ergastulo includi curavisse, sed exculpatur etiam dura Belae in Wlodomierium sententia — — hic enim ob veneno sublatum fratrem Romanum, se tam Principatu, quam gratia Belae Regis indignum effecerat, coeteroquin utut ex connubio cum Vidua Ladislai II. Juditha, Boleslai Hrivoscii, ac Zbilavae Ruthenae filia Romanus natus fuerit: ex secundo nisi matrimonio susceptus erat, igitur natales hi eidem Jus ad Principatum in obversum Ladislai II. Successorum, velut primi matrimonii prolium, dare nequivissent. *Vid. Kat. Tom. IV. pag. 305 — 309.*

Bela a promulgata Cruciatorum expeditione rerum Haliciae turbulentarum necessitudine detentus, attentionem in Provincias Russiae Rubrae recaptivandas convertere necessitatus exstitit, Wlodomirus enim corruptis Custodibus carceres egressus, a Casimiro Poloniae Rege, ejus justam rapinis, et excessibus diversis per universam Poloniam exercitis jam prius moverat indignationem, in gratiam rursus receptus, Haliciaeque Principatu ejus auxilio restitutus est, *ut Bugufalus apud Sommersb. Tom. II. pag. 42. refert, ac idem Cromerus Libr. VI. pag. 166. narrat, Kat. Tom. IV. pag. 337. usque 340.* Sed non virtus bellica virtutem Hungarorum superavit — debilis locus urbis Halicz lignae obsessis

Hungaris infirmum tantum fuit Praesidium, quare multitudine obsidentium hostium Polonorum populorum oppressi miserum urbis Halicz relinquere locum — amissum Halicz amissio totius Provinciae secuta. *Vide Histor. Rer. Pol. Tom. I. pag. 34.*

Posteaquam Poloni multorum flagitiorum reum Wloderum Hungaris depulsis novitus in Solium Regale evectum semper eundem. qui prius fuisset, experti, dolenter tulissent, Lechitarum Regni securitatem rupto cum Hungaris foedere exspirasse arbitrati, odia in Ducem sibi obtrusum ultro celare nequirent, Bela Hungariae Rex exiguam resistentiam metuendam, habiturumque perspicens, ereptum Dominium Provinciarum Russiae Rubrae renovaturus, Solioque turbatum filium Andream ulturus, cum exercitu Haliciam irruit, cuncta longe lateque vastare coepit, hostes ad pari ratione rependenda coegit. Deripiebantur igitur abutrinque oppida, vici, vastabantur agri, ac omnis generis hostilitates exercitae, donec praevie triennibus Induciis pactatis, singula partium bellantium, quaequae instituto Patroni sui, Poloniae quippe Rex Sancti Adalberti, Hungariae vero S. Stephani sponderent, in futurum durabilem amicitiam. Puncta quidem Conventionis non ad nos pervenere omnia, sufficiat his, Hungaris praejudicium nullum illatum fuisse, quia nullus Scriptorum, nec quidem Polonus praelaudatus Episcopus Bugufalus adtingit, *Regem Hungariae Haliciae renunciasse* — imo potius collimari potest

non absque fundamento, quod quia Nicolaus Palatii Regis Poloniae Comes, Vir opinione validus omnem conatum eo direxisset, ut *status pristinus reduceretur*, verosimile fieri, Belam Hungarorum Regem in Haliciensem Ditionem, et reliquam Russiae Rubrae partem, Jus non tantum ultro, porroque retinuisse, sed quia Galiciae quoque Regis titulum primus omnium Regum, Hungariae adjecerit, ex asse primum Regem Hungarorum Galiciae quoque Regem fuisse. Vestigium primum usus hujus tituli est documentum, quo Michael Antistes Scardonensis Virginibus Belgradensibus Jadram ad Sanctum Demetrium transpositis, agros quosdam frugiferos in Bubniano, loco suae Dioecesis situatos adjudicaverat „Anno ab Incarnatione Domini 1189; Mense Maji 2. adstante Indictione 7-ma temporis ejusdem Domini nostri Belae gloriosissimi Regis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramaeque, et Galiciae etc.“ — et ab hoc inde tempore Bela Haliciae Regis titulo usus, talem in Successores quoque transmisit. *Vid. ap. Farlat. Tom. IV. pag. 12. conf. Kat. Tom. IV. pag. 341 — 345.*

Quod Andreas II. ab antecessoribus haereditatum Jus hocce ultro egregie asseruerit, ex Diplomate Ecclesiae Strigoniensi collato conspicuum „In nomine Sanctae Trinitatis, et Individuae Unitatis, Andreas Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Choroatiae, Ramae, Serviae, Galiciae, Lodomeriaeque Rex in perpetuum etc.“ Datum per manus Gotfriedi Orodienensis Praepositi, Aulae

Regiae Cancellarii, Anno Dominicæ Incarnationis 1206. *Reper. illud. in. Bibl. coll. Coquelin. Tom. III. pag. 133. Bibl. Patachich conf. Kat. Tom. V. pag. 33. Cromer. Lib. VII. pag. 174. et 175. — 183. Dlugoss Lib. VI. pag. 604. Kat. Lib. IV. pag. 305. — In alio Diplomate quoque, quo Canonicis Regularibus S. Sepulchri Hierosolymitani Glogoniciensibus in Crisiensi Comitatu septem villas cum amplis immunitatibus contulit, se ultro Regem Galioiæ et Lodomeriæ in perpetuum nominat. Datum est illud per manus Roberti Albensis Præpositi, et Aulae Regiæ Cancellarii Anno Dominicæ Incarnationis Anno 1207. *Vid. Farlat. Tom. V, p. 357. et Kat. Tom. V, pag. 53.**

Hic Rex expeditione contra Ruthenos cepta, non tantum Haliciam, quæ sub Patre suo amissa fuit, recuperavit, sed Lodomeriam quoque novo Jure asseruit, quare hic primus, uti ex præmissorum Diplomatum exordiis patet, se Lodomeriæ quoque Regem nominare cepit. Quod autem Ruthenia Anno 1207. jam Andreae Regi paruerit, ex Literis Innocentii Pontificis, quibus Gregorium Cardinalem ad Hungariam, et Rutheniam expedit, ut *Regionem illam, Hungariæ obnoxiam ad unionem cum Ecclesia Romana perducatur* — — — demonstratur apud Ballucz Rom. IV. pag. 17. LXE. 137. *Kat. Tom. V. pag. 74 — 77.*

Oportuit certe Gregorium Cardinalem missioni suæ pro voto mittentis respondisse, quia dum Anno 1208.

Andreas Rex Pontifici Innocentio insinuans, qualiter expetitur filium suum Colomannum per Primores Galiciae in Regem, medio Joannis Archi-Episcopi coronandum constituisset, subjungit, *Ruthenos utique in Fide Romana perseveraturos*. Hac relatione Pontifici facta, abunde Andreae Dominium in Russia hoc tempore praehabitu probatur. Quomodo enim quis Regum de statu Provinciarum ad tertium pertinentium interrogari possit? vel quomodo se ad responsum interrogatus immittat? Polonus quoque Scriptor *Dlugoss. ad Annum 1208. Lib. VI. pag. 604.* in rem hanc uberius sequentia refert „Andreas a Ruthenis suppliciter oratus, ut filium suum Colomannum eisdem in Dominium praeficeret, offerentibus, se illi fide, et devotione sincera parituros. *Conf. Kat. Tom. V. pag. 214.* Plura quoque praesto sunt Diplomata Andreae Dominium in Russiam Rubram exercitum adtestantia. Ita Regem Galiciae, et Lodomeriae in perpetuum se nominare pergit in Diplomate certo Anno Domini 1212. per manus Magistri Thomae Aulae Regiae Cancellarii, et Praepositi Seibiniensis expedito, quo Praefecturam Budensem quoad certos fundos indemnizat. *Vid. MS. Batthyány. Confer Kat. Tom. V. pagina 154.*

Hoc non obstante tamen, quia e re fuisset Polonorum Scriptorum dominationem Andreae in Russiae Rubrae Provincias septem annis haud interrupta serie, ut e supraadductorum Diplomatum combinatione claret,

exercitam, in dubium vocare, perplexam, et obscuram reddere nituntur Historiam, si non malevole induci tentatas tenebras quisque combinans facillime dispellendo foret. Talismodi confusionis intentatae exemplum sit nobis error ille chronologicus in narratione de Romano, et Lodomerio Ducibus, quos post mortem Wlodomiri Patru Haliciam auxilio Polonorum Anno adhuc 1198. vindicasse volunt. *Vid. Crom. Lib. VII. p. 174.* ubi tamen Annales ab Academia Petropolitana vulgatae perhibent, Anno 1209: Hungaros ejecto Duce Wlodomero Iгореvicio, Romanum Iгореvicium fratrem ejus Ducem constituisse. *Vid. Jur. Hung. in Russ. explic. pag. 5. Conf. Kat. Tom. V. pag. 5, 162. et 163.*

Colomannum quidem ne Anno hunc sequente, quo Andreas indultum ab Innocentio Pontifice pro coronatione per Archi-Episcopum Hungarum in filio in Regem Haliciae, et Lodomeriae peragenda petierat, coronatum fuisse, certum est. *Vid. Kat. Tom. V. pag. 261.* Author Jurium Hungariae in Russiam ad Annum 1213. pag. 5. etiam dicit, Halicienses dominationi Romani Iгореvici non contentos, *informati clam de tyrannide ejus Hungaris*, et secum adductis, tam Ducem, quam Fratres ejus una cum Familia suspensio sustulerunt. Ex his patet Russiae Rubrae Provincias, quia semper pro dando sibi, vel Domino, vel danda satisfactione de dato, — — ad Hungaros recurrissent, ab iis dependentes fuisse. Sed hunc quoque Romanum fiduciario

tantum Jure Hungariae obnoxio, Russiae Rubrae praefuisse, tum continuatus per Andream Haliciae, et Lodomeriae Regis Titulus evincit, tum etiam ex ipso possessorio patet, per Hungariae Reges pro volupe immutatis Principibus, Investituram talibus dedisse. *Clarissimus Palma idem observat in Dissertatione de titulis Mariae Theresiae* 175. „Agnovisse Galicienses Hungariae Jus competere Principem illis praeficiendi, qui „Andream orabant, ut filium potius suum, quam peregrinum Ducem illis daret.“ *Conf. Kat. Tom. V. p. 216.* Innocentii Pontificis quoque Honorius III. in Pontificatu successor, Jus Andreae in Haliciam adtestatur sequentibus: „Nuper ex parte tua (Andreae) fuit propositum „coram nobis, quod cum dudum Colomanno Rege nato „tuo secundo genito ad Regnum Galiciae sibi datum per „Venerabilem Fratrem nostrum Strigoniensem Archiepiscopum autoritate Sedis Apostolicae coronato in Regem — — Datum Laterani 6. Calendis Februarii, Pontificatus nostri Anno 6. *Vid. ap. Rajnal. ad Annum 1222. Nro 42. ex Reg. Annal. VI. Ep. 204. conf. Kat. Tom. V. pag. 366.* Dlugoss quoque Polonus in materiam hanc Lib. VI. pag. 604. sequentia adduxit: „Andreas igitur nihil cunctatus filium Colomannum cum „magnis copiis in Russiam Rubram (quae Haliciam, et „Lodomeriam complexa est) et motus internos compe- „sciturum, et Regnum Ruthenorum apud Halicienses „accepturum, transmisit. Qui dum Haliciam pervenisset,

„a primis Ruthenorum Ducibus, et Bojaris justo hono-
 „re exceptus, et Castri Haliciensis illi tradita possessio,
 „et Mestislaus Mscislavicius unus e Russiae Ducibus de
 „Haliciensi Ducatu exclusus. Qui sub eodem, quo in-
 „gressus erat Haliciam, tempore, se ab Episcopis Ca-
 „tholicis, videlicet: Vincentio Cracoviensi, et aliis,
 „quos secum ex Pannonia adduxerat, inungi, et coro-
 „nari, Regemque vocari, et intitulari etiam Galiciae,
 „et uxorem suam Salomeam Reginam, — — — ita
 „enim a Patre doctus erat — — — procuravit. Interim
 siquid adhuc non satis clari foret, an videlicet Halicia
 revera hoc tempore Hungariae fuerit subjecta? clare-
 scere illud oporteret ex verbis Andreae Regis sequenti-
 bus: „Galliciae Principes, et Populus, nostrae ditioni
 „subjecti, humiliter a nobis postularunt, ut filium no-
 „strum Colomannum ipsis in Regem praeficeremus.“ —
Dlugoss Lib. VI. pag. 604. Conf. Kat. Tom. V.
pag. 214. et 215. Flexus votis Ruthenorum Andreas
 iisdem, ut petierant, filium Colomannum Regem dedit,
 qui absente patre expeditione sacra, ortis in Galicia tur-
 bis, solio dejectus, ast reduce patre iterum restitutus
 exstitit. *Vid. Jur. Hung. in Russ. pag. 5. Kat. Tom. V.*
pag. 314.

Multum sane inter Micislaum, et Colomannum de
 corona Haliciae certabatur, mox ille, mox hic nactus
 Asseclas. Andreas ex Palaestina reversus, domi turbis
 Slavoniae, foris expeditione cruciata debilitatus, auxi-

linum pro reponendo ad solium Haliciense filio Colomanno ab Leskone Albo, Rege Poloniae obtinuit. *Vid. Dlugoss Lib. VI. coll. 604. 605. 606. Kat. Tom. V. pag. 315.* Hic mendose refert, quasi Ruthenis invitus Colomannus Rex datus fuisset, dum superius citato loco, et e Literis Andreae II. ad Innocentium III. Pontificem 1214. datis, recte contrarium eveniat. Quarum tenores sequentes sunt: „Sanctissimo in Christo Patri Innocentio Dei gratia Sacro Sanctae Ecclesiae Romanae Summo Pontifici, Andreas eadem gratia Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ranae, Serviae, Galiciae, Lodomeriaeque Rex salutem, et filialem devotionem. Noverit igitur Sanctitas Vestra: quod Galiciae Principes, et Populus nostrae ditioni subjecti, humiliter a nobis postularunt, ut filium nostrum Colomannum ipsis in Regem praeficeremus, — in unitate, et obedientia Sacro Sanctae Ecclesiae perseveraturis. *Vid. has Literas apud Rajnald ad 1214. Nro VIII — XIII. Conf. Kat. Tom. V. pag. 209.* Sed quae fides Polonis haberi possit, in rem suam disserentibus? chronologici errores, sponte forte commisi, palam faciunt. Scripserunt enim Colomannum in Arce Haliciensi Anno 1225. veneno sublatum — — victoriam vero de Daniele Romanovits per Hungaros 1226. reportatam dicunt, quam decennio tardius evenisse, Clarissimus Palma evicit. —

Quod autem veneno sublatum Colomannum adtinet: Anno adhuc 1226. in vivis fuisse, Diplomate, quo Ecclesiae

Traguranae Praedium Regale Drid contulit, edoctum est: „In nomine Sanctae, et Individuae Trinitatis — „Quum itaque nos Colomannus Dei gratia Ruthenorum „Rex, e largitate gloriosi Patris nostri Hungariae Regis „Dux Dalmatiae, atque Croatiae etc.“ Datum Spalati in Archi-Episcopali Palatio per manus Magistri Barnabae Aulae Regiae Cancellarii Dominicae Incarnationis Anno 1226. 14. Indict. die Calend. Augusti. *Vid. ill. apud Farlat Tom. IV. pag. 337. Conf. Kat. Tom. V. pag. 489.* Mortuo demum Andrea II., filius ejus primogenitus Bela hujus nominis IV. successor, — — Jus ab Antecessoribus suis in Provincias Russiae Rubrae haeredatum fortiter sustinuit. Altera enim coronatione sua Anno 1235. (prior namque Patre sic jubente Anno adhuc 1207. in bienni puero peracta est) Vasallorum singuli Feuda hungarica tenentes, tributariorum Principum munia in coronationis Solenniis obierunt. *Vid. Palma not. Rer. Hung. Part. II. pag. 99. Conf. Kat. Tom. V. pag. 755.*

Colomannus quidem (posito certis pactis sceptro) Galiciam, Lodomeriamque Micislao, caeterisque post eum Russiae Gentis Ducibus resignavit, *quin tamen ea propter ullam sacra Corona Regni Hungariae passã sit jurium suorum diminutionem.* Hi etenim Duces *fiduciario solummodo nomine* Galiciae praeerant, Hungariae Regibus ultro quoque subjecti Feudalistae, quorum exemplo complures alii Russorum Reguli animati,

securitatis causa in clientelam Regum Hungariae concedebant. Talis fiduciarus Hungarorum fuit Wratislaus Galliciae Dux, Gener (improprie tamen sic dictus) Belae IV. Regis, ejusdemque filius Michael, Daniel item Russorum Dux, qui in coronatione Belae IV. *vasalliticio obsequio* Equum Regium summa cum reverentia ducebat, hujus item filii Romanus, et Leo, urbis Leopolis in Gallicia conditor, quod autem titulum per patrem suum usuatum, Regis nempe Galliciae, et Lodomeriae Bela quoque IV. ubique adhibuerit, pluribus Diplomatum liquet, sic, quo Tyrnaviam peculiari Privilegio donavit, praesto est: „In nomine Sanctae Trinitatis, et Individuae Unitatis, Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniaeque Rex.“ *Vid. ill. ap. Bél Not. Hung. Tom. II. pag. 9. Conf. Kat. Tom. V. pag. 848.* In alio, quo Traguriensium fidem remuneratur, antiquis Privilegiis confirmatis, novas praerogativas conferendo. Anno 1242. die 15. Aprilis Regni sui Anno septimo, se Regem Galliciae, et Lodomeriae scripsit. *Exstat illud apud Farlat Tom. IV. pag. 340. Conf. Kat. Tom. V. pag. 1048.*

Quod vero omnes Reges Hungariae Stirpis Arpadiae se nomine, Regum quoque Galliciae, et Lodomeriae insigniverint, dominiumque in has Provincias exercuerint, multa perhibent documenta. Ita unum praecipuorum ex *Mans. Malonyayanis extractum, quod citatur per*

Katona Tom. VII. pag. 1200. continens Sententiales Comitatus de Beregh, gravissimum pro dominio in Provincias Russiae, Hungariae Regum suppeditat argumentum, cujus tenores sequentes: „Nos Georgius Comes de Beregh Officialis Ducis Ruthenorum, et quatuor Judices Nobilium damus pro memoria etc.“ Datum in Lupreth-Nana in Octavis supradictis 1299. Ex hoc pronofuit alveo conclusio, Rutheniam (quo nomine saepe pars Russiae Rubrae insigniebatur) hoc tempore Hungariae Regi paruisse, quomodo enim alterius Regis Officialatum Comes de Beregh tenere potuisset? nisi is ipse Vasallus fuisset Regis Hungariae.

Exincto tandem ultimo Arpadiae Stirpis Rege Hungariae Andrea, et Venceslao Sceptra Hungarica debili manu capessente, turbae in Regno perpetuae, breveque quatuor annorum semper fluctuans Imperium per omnes Provincias — non pro eo fuere, ut partium Russiae Rubrae dominium obfirmari valuisset, — neque ab Ottone Regimen Antecessoris sui recipiente desiderari poterat, ut amissorum quid recuperaret is, qui in illis, quorum firmitus dominium in Hungaria adisset, se ita parum conservando fuit, ut post tres annos Coronam Carolo Roberto cedere sit coactus.

Debilitate ergo, domi disturbiis, foris bellis perpetuis occupatorum Regum Hungariae, Principes Russiae Rubrae mox usi pedetentim paulatim obligationis vasallicitiae obliti, non ea, quae oportuisset, Domino Feudi

praestitere obsequia. Carolus, ferme 42 annis Rex, pro-
 ut sub initium regiminis sui quam plurimis invisus, ita
 post mortem grata omnium recultus memoria, non solum
 turbis internis sedatis — ea — — quae ab antecessori-
 bus suis haeredasset, obvallavit, verum compositis feli-
 citer dissensionibus inter duos Affines suos, Casimirum
 quippe Poloniae, et Lithvaniae, ac Joannem Bohemorum
 Reges, Anno 1335. author fuit, ut Ludovicus filius suus
 ex Elisabetha Sorore Regis Poloniae Casimiri natus —
 — in casum defectus Avunculi in sexu masculino, Rex
 Poloniae futurus, juxta voluntatem, desideria, et penes
 assecurationem Statuum Polonicorum adoptatus, promul-
 garetur. Facto hoc non tantum securum Regnum Hun-
 gariae redditum est, super jungenda Poloniae cum Hun-
 garia Corona, sed certitudinem etiam obtinuit, ut in-
 senescente Rege Poloniae brevi, Russiae Rubrae Provin-
 ciae a Hungaria avulsae, Regno huic reincorporarentur.
Vid. Thurocz. Part. II. Capit. XCVIII. Dlugoss
Libr. IX. col. 1055. In sequelam hujus adeptiois Po-
 loni juxta eundem *Dlugoss Libr. IX. col. 1101.* per
 Legatos ad Hungariam missos, jam praevis Libertates
 confirmari petentes avitas, supplices ad Ludovicum recur-
 rerunt, confirmationemque talium per Diploma Budae
 24. Junii 1355. emanatum obtinere. — — Eodem
 tempore Joannes Bohemiae Rex Jus in partem Poloniae
 praetensum cum titulo Regis Poloniae, quo utebatur hac-
 tenus, coram eodem Rege Hungariae Carolo, Affine

suo — — cessit, et vendidit Poloniae Regi Casimiro pro 20,000 marcis argenti. *Vid. Dubrow XXXI. pagina 175. Cod. Germ. Dipl. Part. I. Cap. II. Nro LII. col. 1015. Mans. Cornid.* — Et hanc per conventionem firmiori adhuc titulo in caput Ludovici Hungariae Regis Polonicam Coronam recidere oportebit. ²

Succedens Patri Carolo Roberto in Regno Hungariae Ludovicus, priori uxore Margaretha Imperatoris Caroli, et Bohemiae Regis filia mortua, matrimoniali vinculo Elisabetham, Avunculi sui Casimiri Regis Poloniae filiam, in secundam uxorem adscivit — — cum priori Socero suo foederationem iniens, eidem modernum quoque Socerum, ac Albertum Ducem Austriae inclusit, pro se, et Casimiro Poloniae Rege Ducatum Ploicensem cum aliis Provinciis in partibus Massoviae acquirendo. *Conf. ap. I. Christ. Lunek. Codic. Germ. Dipl. Part. I. Art. II. Nro CXXXI. col. 1107. Manuscr. Cornid. Vid. Dipl. ad Budae 1353. 6. Junii in Corps universel Diplomatique par M. Dumend. Tom. I. Part. II. pag. 284.* Peculiare quoque eatenus exstat Diploma Norimbergae die 7. Augusti 1360. emanatum. *Vid. ap. Dobner, Monum. pag. 382.* in haec verba: „Karulus IV. notum facimus, quod illius intimi amoris, et favoris affectus intuitu quo Serenissimos Principes, „Dominos — — Ludovicum Hungariae, et Casimirum „Poloniae Reges etc.“ Ex hujus tenoribus patet, quod *Ludovicus Massoviae quoque Provinciarum Jus,*

et possessorium quæ Rex Hungariae pro successoribus quoque suis obtinuerit. Anno 1351. Lithvaniae Rebelles Poloniae Regis Provincias irruere, ad Halisiae, Lodomeriae quoque Regna Hungaris subdita insultum fecerunt, sed per Ludovicum Hungariae Regem avunculo pro suppetiis properantem, feliciter debellati existere, Duceque eorum capto, et ad fidelitatem debitam reducto, mox coerciti. *Vid. Pray Hist. Reg. Hung. Parte II. pag. 79.* Fatis functo Anno 1370. die 5. Novembris Cracoviae Casimiro Poloniae Rege, in conformitate memoratae adoptionis, ac acceptationis successio- nis sibi per Proceres Polonos oblatae, Jureque jurando firmatae, observandae fidelitatis, ac obsequii subditalis — — Ludovicus Hungariae Rex per Barones Poloniae ad quo citius capessenda sceptrâ Polonica invitatus — — longius etsi dubitabat, an talia sine detrimento aliquali Hungariae inferendo acceptare debeat, tandem precibus Polonorum flexus, ad coronam non excutiendam se determinavit, fineque hoc versus Poloniam festinans, prius Sandeczii per Proceres Polonos obviam venientes, pompa ferali exceptus, Cracoviam velut in triumpho delatus, in Arce Regia condescendit — — ubi statim ab altero adventus sui die per Janusium Suchivick, Decanum Cracoviensem, Regni Polonici Cancellarium, unaque depati Regis Casimiri Testamenti Executorem primo interrogatus est — — *an singula? quae denatus Rex testamento observari praecepisset, rata habere ve-*

lit? veritus Ludovicus simpliciter affirmans dare responsum, ne forte inconsiderantia tali quid noxae regimini inferatur. Quare collato statim, et extemplo cum Proceribus, consilio caute, cum summa providentia, ad contentum tamen omnium respondens, statim in Ecclesia Cracoviensi, majori die Dominico post festum Sancti Martini, 17. Novembris 1370. per Jaroslau Gneznensem Archi-Episcopum diademate regio coronatus, et unctus exstitit, cum honore immenso. *Vid. Kat. Tom. III. Ord. X. pag. 462.* Idem Archi-Diaconus Executor regii testamenti (sine tamen certa temporis designatione refert, *Chron. Part. III. CXXXVII.*) quod mortuo Casimiro Rege, Ludovicus cum ingenti exercitu Poloniam intraverit, ubi in Regem de *Jure successorio* exstitit feliciter coronatus. Illud Dlugoss quoque (*ibid. col. 7.*) confirmat, observans Ludovicum Vladislao Duci Opuliae, Palatino Hungariae, Sororino suo, Vlnensem, ac alias Provincias contulisse — — subnectens, quod tam ab eodem, quam etiam a Dobrzinensi, et Stetinensi Ducibus Feudum acceperit — — quibus absque turbis capessitam Coronam Poloniae per Ludovicum Regem fuisse, abunde docetur. Etenim haec translocatio ex Hungariae Regni Palatinatu, dicti Wladislai Opuliae Ducis in Officium Vajvodatus Russiae Rubrae per Ludovicum Hungariae Regem in Anno 1374. dominium in Galiciam, et Lodomeriam Ludovici habitum, et exercitum — luculenter evincit, quod Literis Emerici Bubeck de

Pelsücz, in Officio Palatinatus Ducis Wladislai successoris ex Visegrád 10. Maji 1374. dimissis, demonstratur; quae videndae apud *Kat. Tom. III. In Ord. X. pag. 584.* in verbis *Ladislao Palatino in dominium Regni Russiae per] Dominum nostrum Regem sublimato — Honoreque dicti Palatinatus per Regiam Clementiam nobis datum.*

Usque Annum 1382. inturbatum fuit dominium Regis Hungariae in Russia Rubra, donec eodem mortuo, Praefecti locorum, arces, quibus praefuere, ut *Kamienieczium, Olyesko, Hordlo, Lopatin, Snyatin etc.* Duci Lithvaniae Luithbartho tum Castrum Luczko obtinenti, magna auri, argentique copia — venditas infideliter traderent. Reos hos arcium deditarum Capitaneos in carceres coniectos, Elisabetha Regina ultro captos detinuit partim, partim vero morte mulctavit, totaque eorum generationi notam Infamiae dictavit. Ne tamen nota infidelitatis Capitaneorum, Arcisque Praefectorum haec, in fidelem suum Vajvodam, qui toti Russiae hoc tempore praefuit, Joannem Dessew, vel ejus generationem quoquo modo dimanaret, vel suspicio tantummodo aliqua etsi in eundem cadere posset — peculiari id Diplomate laudata Regina praecavit, quod Anno 1382. 5. Novembris in villa Todusked emanavit. In hoc propter singularia merita, et fidelitatem in Russia Rubra testatam fratribus de Genere (*Kápol, Cápól, Zápól*) collationem facit in haec verba: „Nos Elisabetha Dei gra-

„tia Hungariae, Poloniae, Dalmatiae etc. Regina memoriae commendamus per praesentes, quod nos, consideratis fidelium servitorum meritis Magistri Dessew, filii Benedicti de Kapulya, fratris, condam Archi-Episcopi Strigoniensis, Aulae nostrae Militis — Magistro Dessew, et per consequens Magnifico Viro Joanni Vajvodae Russiae, fratri ejusdem dedimus.“ *Vid. ill. in Georg. Pray Hist. Reg. Hung. Part. II. pag. 139. Conf. Katon. Tom. IV. Ord. XI. pag. 19. ibi dicitur: Joannem Dessew, Vajvodam Russiae, infidelibus Praefectis Praesidiorum, in fide, et fidelitate perseverasse, quem Ludovicus post Czudarios, et Emericum Bubek Vajvodam praefecisset, — qui Regnum praedictum bene, et laudabiliter defensantes, sub titulo, et regimine ejusdem Regis conservaverunt (Chron. Part. III. CXXX. Kat. Tom. IV. in Ord. XI. pag. 95. Vid. Carm. Wagner Annalect. Scepus. sacr. et prof. Part. IV. Hist. et Geneal. Familiae Zápolya.)*

Posteaquam Hedvigis, secundo genita filia Ludovici Regis seniore Sorore sua Maria, Sceptra Hungarica tenente, nuptui Jagelloni Poloniae Regi data fuisset, Russiae Rubrae Provinciarum duntaxat proventu, et administratione donata exstitit. Maria, Regina Hungariae, omnia Majestatica Jura in Galiciam, et Lodomeriam, velut Provincias Hungariae connexas, ultro retinente, claret id ex eo, quod, ut ut Hedvigis Provincias has administraret, Donationes tamen in Galicia, et Lodo-

meria sola Maria contulerit, donatorumque Statutionem et in Bona introductionem per suos Officiales ejates, Vajvodas quippe peragi curavisset. Ita Familiae Palugyanae de Kiss-Palugya in Terra Premislaviensi Bona alicujus Dessk deficientis, in Possessionibus Demetrovits, Jezmanits, Plessevits, et Popovits, in Regno Russiae Districtus Premislaviensis habita, contulit. De dato Budae in Octavis Festi B. Michaelis Archangeli Anno 1385. et Emerico Bubek, totius Russiae Capitaneo, statutionem eorumdem demandavit — qui etiam retulit, Palugyayanos in sensu Donationis, et Mandati Statutorii more solito pure statutos exstitisse in festo omnium Sanctorum Anni ejusdem. Utrumque Instrumentorum in transunto legi potest apud *Kat. Tom. IV. Lib. in Ord. XI. ad Annum 1385. pag. 95. et sequ.* in haec verba: „Nos „Maria Dei gratia Regina Hungariae etc. memoriae „commendamus, quod Serenissimo, et Excellentissimo Principe olim Domino Ludovico praemissa Dei gratia Rege „Hungariae, Poloniae etc. felicitis reminiscendae Genitore „nostro benignissimo, volente Domino Coeli, cujus nutu „omnia reguntur, et disponuntur, absque prole masculina „de medio sublato, *Nobisque Jure successorio, et ordine Geniturae* Coronam, et Solum dicti Regni Hungariae, ac Sceptra regiminis ipsius Genitoris nostri feliciter adeptis, Joannes filius Andreae de Palugya ad „nostram, ac Serenissimae Principis Dominae Elisabethae „eadem Dei gratia Reginae Hungariae Genitricis nostrae

„benignissimae veniendo praesentiam, suas fidelitates,
 „et obsequiorum merita, quibus primam eidem Domino
 „Regi Ludovico, ac tandem nobis possetenus studuit
 „complacere, proponens, ac in memoriam revocans Ma-
 „jestatis, portionem possessionariam in Possessione De-
 „metrovits vocata, habitam, quae condam Dessk, ac
 „portiones possessionarias in Possessionibus Jezmanits,
 „Plessevits, et Popovits vocatis, habitas, et existentes,
 „quae condam Consortis Ivan hominum, ut fertur —
 „absque haeredibus utriusque sexus defunctorum prae-
 „fuisse asseruntur, *in Regno nostro Russiae*: in Di-
 „strictu Premislaviensi existentes — ratione praevia ad
 „manus nostras devolutas regias sibi etc. — a nobis
 „perpetuo conferri postulavit. — Nos igitur — — —
 „prout eadem de Jure nostrae Regiae pertinere discer-
 „nuntur collationi — — — de consensu ejusdem Domi-
 „nae Genitricis nostrae, Praelatorumque, et Baronum
 „nostrorum consilio praemature — eidem Joanni — —
 „— eorumdemque Haeredibus, et Posteritatibus univer-
 „sis dedimus, donavimus, et contulimus — salvo dunta-
 „xat Jure alieno.“ Datum Budae in Octavis festi B. Mi-
 „chaelis Archangeli Anno Domini 1385. Statutionis vero
 „sequens copia est: „Nos Emericus Bubek totius Regni
 „Russiae Capitaneus — significamus tenore praesentium,
 „quibus expedit universis: quod Joannes filius Andreae
 „Nobilis de Kis-Palugya, de Comitatu Liptoviensi Lit-
 „teras Serenissimae Principis Mariae, Dei gratia Re-

„ginae Hungariae etc. nobis praesentavit in haec verba :
 „Maria Dei gratia Regina — fideli suo Magnifico Viro Do-
 „mino Emerico Bubek , Capitaneo totius Russiae Regni —
 „vel Castellano cuidam Premislaviensi salutem , et gratiam
 „— — — cum nos portiones possessionarias hominis cu-
 „jusdam Dessk dicti , qui , ut dicitur , absque Haeredum
 „solatio universae carnis debitum persolvisset — Deme-
 „trovich , et alias portiones ejusdem ubique locorum si-
 „tuatas , et quocunque nomine vocitatas — item Jez-
 „manich , Plesevich — et Popovich — vocatas , ad
 „praefatum Castrum — — — — vocitatum spectantes ,
 „et pertinentes , Joanni , Ladislao , et Michaeli , filiis
 „Andreae de Kis-Palugya , et Andreae filio Philippi de
 „Eadem , aliis Litteris nostris mediantibus Novae Do-
 „nationis titulo duximus concedendas , eosdemque in do-
 „minium earundem Portionum possessionariarum volui-
 „mus per Fidelitatem Vestram legitime statuere , et in-
 „troducti , Fidelitati igitur Vestrae mandamus , et com-
 „mittimus praesentibus perceptis , eosdem Joannem , La-
 „dislaum , Michaelem , et Andream in dominium earum-
 „dem Portionum possessionariarum introducere , et con-
 „suetudinibus dicti Regni Russiae statuere debeat , prae-
 „missae nostrae Novae Donationis titulo possidendam.“
 Datum Budae in Octavis B. Michaelis Archangeli Anno
 Domini 1385. „Nos itaque praesentes Litteras Dominae
 „nostrae Reginae honorabiliter , ut tenemur , acceptavi-
 „mus , Portiones possessionarias Demetrovich , et alias

„etiam pertinentes. cujusdam hominis Dessk vocati, abs-
 „que Haeredum solatio decessi, et defuncti, nec non
 „Jezmanich, Plesevich, et Popovich ad Castrum —
 „— pertinentes, et spectantes saepe dictis Joanni, La-
 „dislao, Michaeli, et Andreae fratribus suis, juxta prae-
 „ceptum Literarum Reginalium assignavimus in perpe-
 „tuum, et statuimus, ipsis, Haeredum ipsorum succes-
 „soribus Jure perpetuo, et irrevocabiliter possidendas,
 „tenendas, et habendas, nullius contradictione obvianti,
 „in cujus rei testimonium — — Datum in — — burga
 „eadem die festi omnium Sanctorum Anno praenotato.“

Pacificus fuit usus Galiciae, et Lodomeriae Mariae quoque Reginae Hungariae, usque donec Sigismundo rebus turbulentis Dalmatiae distento, Hedwigis Jagello- nis Poloniae Regis consors administrator duntaxat, prout recte ostendimus, ex beneplacito per sororem Reginam Hungariae terrarum Russiae Rubrae constituta, aptam occasionem arriperet Hungariae Regno easdem avellendi, et velut successionem paternam modo precario titulo tantum tentam, successorio allegato Jure absolute sibi vendicandi. Sed quamvis violenta quoque occupatio possessorium concedat quidem — — Jus tamen ad arrepta ipsa occupatio perfectum nuspian tribuit. Hinc Juri Regum Hungariae in Provincias Russiae Rubrae potentioso, ac perfido facto Hedwigis praejudicatum etsi fuit, — neququam tamen Juri praescripsisse, credendum. Indivisibile enim, ut nunc, sic et olim Regnum Hungariae fuerat, ac ideo

Ludovici successio ex avitarum legum dispositione, indivisa in primogenitam filiam universorum sub corona sacra Regni existentium recidere debuit. Ac cum obligatio avulsas Provincias in casum revindicationis Regno reincorporandi constitutionalis esset, in ipso coronationali Juramento Regum clare expressata, non tantum nec Rex, nec Natio Hungarorum consenserunt, quin imo prono fuit alveo, quod cognito eo, quo Jure haec ad Hungariam olim pertinuissent, easdem huic novitus reincorporatas habere velle. *Conf. Kat. Tom. IV. Libr. XI. pag. 287.* Dlugoss quidem Polonus Scriptor, cui et ideo interessentia; quod Hungarus non esset, et quod cognitionem Constitutionis Hungariae non habuerit, non succensenda, dicit — — — Hedvigem firmo, quasi ergo successorio titulo Lodomeriae, Galiciaeque dominium adisse, quod quidem jam superioribus refutatum — si enim successio fuisset, Maria Jura majestatica qua Regina Hungariae, conferendis in Russia Rubra Donationibus, exercere quomodo valuisset? neque Statutiones in collatis Bonis terrae Russiae Rubrae adjacentibus per ejusdem Hungaros Magistratus absque disturbii, ac pure, perfici potuissent — ast posito etiam, — Hedvigem, firmum titulum successionis ad perfide sibi appropriatas Russiae Rubrae Provincias, de Jure allegare quivisse — eadem Anno 1390. improbi decedente, si successio fuit? Provinciae Russiae Rubrae in sororem Mariam, Reginam Hungariae, firmiori adhuc Jure successionis revolvi debebant. *Vid. Kat.*

Tom. IV. in Ord. XI. pag. 469. et 470. Ipse Długosz mortem Hedvigis, cujus Jura tantum defendit, sequentibus describit — — — „Die vero partus adveniente, Hedvigis Regina 12. Junii filiam enixa est — — — qua edita, ac aegritudine Regina Hedvigis vexari coepit — — — puella vero nata infra triduum obiit, cujus obitum in eo momento, quo animam exhalabat — — — Matris, his eam observantibus, celare, ne ex dolore aegritudo augeretur, satagentibus — — — nunciavit. Expost vero infirmitate grassante, procurato sacratissimae Eucharistiae viatico, et oleo benedicto peruncta, devotissime, religiosissime, quemadmodum beato sanguini conveniebat, 17. Julii in Castro Cracoviensi sanctis, et devotis plene operibus sub meridiana hora defuncta.

Gravissimas videmus jacturas a morte Ludovici I. sub femineo regimine, ac brevi Alberti domino Hungariam tulisse, donec spe revindicandarum vicissitudine temporum a Regno avulsarum Provinciarum cum vocazione Vladislai III. Regis Poloniae (primi Hungariae futuri) ad solium Hungaricum egregie affulsisset, dum is, per Nuncios Hungariae, Joannem Episcopum Segniensem, Matthaeum de Thalócz Regnorum Dalmatiae, Croatiae, totiusque Slavoniae Banum, Joannem de Perény, Tavernicorum, Ladislaum de Pálócz, Curiae Regiae, ac Emericum Marczaly, Dapiferorum — Magistros ad capessendam coronam provocatus, Diplomate per eos Regnicolis transmissio, promitteret, singulos penes antiquum liber-

tatum, conditionis, et praerogativarum statum, ultro conservaturum, avulsarum vero Provinciarum recuperandarum reincorporationem sponderet. *Vid. ill. per extensum in explic. Juris Hung. ad Russ. pag. 18. Item conf. Kat. Tom. VI. Ord. XIII. pag. 23.* „Promittimus etiam, et spondemus, quod omni diligentia, et sollicitudine, et opera nostra, quantum in nobis fuerit, niti, et laborare volumus, quod recuperandis omnibus Juribus, et pertinentiis Regni Hungariae praeattacti, ac quibuscunque occupatis — eo etiam singulariter expresso, quod terrae *Russiae, et Podoliae remaneant in pacifica possessione, sicut hactenus fuerunt Regni Poloniae, sine praejudicio Hungariae, et Poloniae Regnorum praedictorum* — — quousque inter Praelatos, et Barones utriusque Regni, et quando praefato Domino Regi videbitur, celebrari poterit conventio pro declaratione Juris, et tituli terrarum praedictarum cui Regno competant? Cracoviae die 8. Martii 1440. Disquisitio haec quidem Juris forte ob breve regimen bellis exactum — nunquam obtinuit. — — prout neque restitutio oppignoratarum Scepusiensium terrarum, quas etiam juxta ejusdem Diplomatis tenores datae affidationis Regiae absque ulla pecuniarum remuneratione a parte Hungariae praestanda, simpliciter Hungariae reddi oportuisset, per Polonos praestita. Binae hae non adimpletae conditiones, et promissa eo ab invicem differunt, quod prioris, *neglectae nempe disquisitionis, quonam Russia*

Rubra in futurum pertinere debeat? nulla penitus causa assignetur — non remissi autem Scepusiensis Pignoris ratio per Dlugoss Libr. XII. col. 729. Kat. Tom. VI. Ord. XIII. pag. 50. praestetur sequentibus; —

„Egressus Wladislaus Rex Poloniae cum Casimiro
 „Duce ex Cracovia, iter suum in Hungariam persecutus
 „— venit in Szandecz, ubi Serenitatem suam Sophia Regina
 „Genitrix sua, et Sbigmeus Cracoviensis Episcopus prae-
 „cesserunt, et adventum suum praestolabantur. Ibi Sbig-
 „meus Episcopus Cracoviensis omnem argenteriam suam
 „in vasis variis, et pecunias non modicas, — ad aliquot
 „millia florenorum se extendentes, Wladislao Regi mu-
 „tuat, *terra scepusiensi ad extenuandum omne debi-*
 „*tum suscepta.* — Ac ideo, ut promisit, absque quavis
 „pecuniarum exactione Provincia Scepusiensis Hungariae
 „restitui non potuit.“

Aeneas Sylvius Epistola sua, qua statum Hungariae sui temporis satis bene adumbrat, ipse Juris Hungarici in has terras meminit — — dum Hungaros reflectendo, quid olim fuerint? quidve modo essent? sequentibus afatur: — — — „Nec Gens fuit in orbe toto, quae ve-
 „strum tunc Regnum laceßere auderet, tam venerabile,
 „et clarum erat ubique terrarum Hungarorum nomen —
 „— ast nunc! — — — quam lacerum est vestrum Re-
 „gnum! ipsi scitis. — circumspicite totum — Veneti, qui
 „condam profundo Civitatis suae tributa pendebant, Dal-
 „matiam jam magnâ ex parte tenent — — — Turci, —

„qui trans Helespontum reformidare vestros arcus sole-
 „bant, in ipsis Hungariae visceribus grassantur. — *Po-*
 „*loni, qui quodammodo vestri Regni censebantur* —
 „ — Moldaviam sui Juris fecerant. *Pray Ann. Part.*
III. pag. 36. Epist. 78. Conf. Kat. Tom. VI. Ord.
XIII. pag. 386.

Sed neque Diploma Wladislai I. superius provoca-
 tum, quo Hungariae avulsas Rubrae Russiae Provincias,
 si nempe tempore id admittente, convocandorum ab utrin-
 que Baronum consilio adinveniretur, Provincias has re-
 vera ad Hungariam pertinuisse, eidem reincorporandi,
 — — Hungariae quid profuit. Nam sub Wladislao II.
 Lodomeriam, et Galiciam Sigismundo Poloniae Regi,
 fratri Hungariae Regis Wladislai adhuc subditas fuisse,
 ex conventionione foederis ad mutuam defensam initi ver-
 bis sequentibus patet — — — „Similiter etiamsi Impe-
 „rator Turcorum, vel etiam Imperator Tartarorum, aut
 „filii sui, Duces eorundem, per se propria in persona
 „veniret, aut etiam Bassam aliquem cum potentia, et
 „integro exercitu suo, contra Regnum Poloniae mitteret,
 „ita, ut illud occuparent, et in eo remanerent, vel Ca-
 „strum Kamenicziense, sive Leopolim obsiderent, ita,
 „quod sub illo morarentur, et pausarent, in hoc casu
 „nos quoque vicissim cum universo Regno nostro Hun-
 „gariae, totaque potentia, et viribus nostris semota
 „omni excusatione, insurgentes, in auxilium ipsius fra-
 „ternae Majestatis, debemus venire. Prout sibi, et Do-

„minis Consiliariis commodius, et utilius videbitur. etc.
 — — Datum Budae feria 2-da post festum S. Trinitatis
 Anno Domini 1507. *Lege illud apud Dogiel Codice
 Diplomatico Tom. I. pag. 104. Conf. Kat. Tom. XI.
 Ord. XV. III. pag. 499. et sequent.*

Interrupto, taliter per violentam occupationem Hedvigis Dominio Regum Hungariae in Provinciis terrarum Russiae Rubrae nulli pro dolor! Regum sibi succedentium hucadusque easdem ex toto Hungariae reincorporandi successerat, — sed neque Jura in easdem amissa fuisse, censendum. Decreto enim supraprovocato per Wladislaum II. tempore vocationis suae in Regem Hungariae Statibus largito, Regnicolae firmiter inhaeserunt, et prout supra meminimus, breve tantum regiminis tempus ad Varnam occumbentis Regis 1444. causa fuit non subsecutae satisfactionis. Quod autem Poloni Jus Regum Hungariae in Provincias Russiae Rubrae, tacite etsi, a tempore Hedvigis usque Rudolphum I. Regem Hungariae tamen recognoverint, hujusque revindicationem olim intentandam conventionem aliquam praevinire studuerint, argumento est, desiderium illud Polonorum, quod Juramento Maximiliano apud se in captivitate detento, praescripto enunciarunt — ut videlicet pro se, et successoribus suis Juri in Poloniae dominium renunciaret, desiderarunt idem ab ipso Rege Hungariae Rudolpho, ut sponderet se aliquid *de Juribus quoque* in Russiam, et tredecim oppida Scepusiensia remissurum. Imo eo plane

Poloni sui obliti, ut renunciacionem talem a parte Rudolphi Regis etiam velut praestitam ex verbis Diplomatís conventionis initae inter homines Polonos, Austriacae domus Principum deputatos, ac Hungaros Proceres pro concordia tractanda, et liberando Maximiliano Principe missos, Bithomii, et Bendzini nona die Martii 1589. emanati, elicere velint. E re futurum eadem verba primo praemisisse, tum refutasse, utut quicumque legerit, refutatione amplius opus non habiturus, pro meliori tamen esse refutationem viri multum laudati Authoris Juris Hungarici in Russiam minorem adductari. Verba igitur Diplomatís *quaestionata* sunt sequentia: „Promittimus „nullam superiorum offensionum dissensionem Majestatem, Serenitatesque suas retenturas, neque vi, aut armis, vel per se, vel per submissas personas quocunque „tempore, aut quacunque ex causa, colore, seu praetextu Regnum Poloniae, Magnum Ducatum Litvaniae, „Russiam, Prussiam, Massoviam, Samogitiam, Livoniam, caeterasque Ditiones, vel Arces, Oppida, Villas, hominesve Serenissimi Poloniae Regis infestaturos „etc.“ — Sequentibus tamen argumentis authoris supracitati evincemus, nihil minus iisdem demonstrari, quam Poloni demonstratum habere voluerant. *Vid. Edit. Vind. pag. 21. ejusdem authoris.* — — —

Si ad genuinas verum sensum explicandi regulas, tum locus iste, tum tota ea tractatio expendatur, ad evidentiam usque patebit, nunquam in animo fuisse

Augustae damni suo, et praecipue *Hungaricae Coronae* tam antiquo in Russiam, et Podoliam Juri renunciare, neque etiam id, tum Aulae Polonicae, ut peteret, in mentem venisse, quod quidem dictum sequentes animadversiones, et consideratio, quae tum fuerint rerum conditiones, extra omne dubium collocabant — — dederant tractatui huic occasionem duorum Regum electio, et subsecuta sinistro belli casu Maximiliani captivitas, scopus vero, ad quem collimabant omnia, erat — — Juri in Poloniam Coronae renunciatio, quemadmodum id diserte declarant ipsa Pacificationis verba sequentia — — „Quum autem omnis haec superioris temporis dissensio ex nominatione, Juribus, et „Institutis Regni Poloniae minus consentanea Serenissimi Principis, et Domini Maximiliani etc. inprimis, Comitibus electionis Varsoviae habitis, a quibusdam proposita emanarit; cum iis, quae supra commemoratae sunt, tum aliis causis ad Reipublicae christianae universae salutem, et tranquillitatem pertinentibus, convenit, conclusumque inter nos est, ut, quo et praeterita dissensio, et futurae causae, materiaque omnis tollatur, commemorato titulo, et Jure, quod quocunque modo pervenisse, ad se inde arbitratus fuit, „idem Serenissimus Archi-Dux Maximilianus cum alias memoratas ob causas, tum ob communis Reipublicae christianae — — — quietem, et incolumitatem abstinere, et nunquam in posterum utatur.“ — Ex quo sane

evidens fit, in tractatu illo unice actum fuisse de renunciatione illius tituli, et Juris, quod quocunque modo pervenisse ad se inde, nempe (ex ancipite electione) arbitratus fuit Maximilianus Archi-Dux. Et quoniam Jus illud ad universum Poloniae Regnum, Magnumque Litvaniae Ducatum, porrigebatur, prorsus praesentium rerum conditione congruebat. Maximiliani, Augustaeque Domus promissum, quo fidem dabant, quod Poloniam, Litvaniam, caeterasque Provincias, quae tunc sub ditione Poloniae erant, atque superius enumerabantur, vi, et armis invadere nolint; quodsi Polonia contendisset obtinere abdicationem, peculiarium Jurium Coronae Hungariae connexorum omnino necessum fuisset, ut hanc ipsam renunciationem, et ea omnia nominatim exprimeret, quae ea cessione petebantur. Et tum sane haud fuisset, cur Poloniae, Prussiae, Massoviae, Samogitiae, Livoniae mentio fieret, addereturque caeterisque ditionibus, vel arcibus, oppidis, villis, hominibusque Serenissimi Poloniae Regis — — — cum haec fuerint talia, quae Hungaria nunquam, vel sibi deposcit, vel Jure deposcere potuit. Ad haec contrahentium capita, si rem, ut est, spectemus, erant Archi-Dux Maximilianus, et Rex Sigismundus Poloniae, Radolphus II. Imperator, ac reliqui Archi-Duces verius nihil, nisi fidem praestabant, atque Authores erant. Qua igitur ratione Polonis in mentem venire poterat, ut a Maximiliano Archi-Duce, cum quo reapse Contractum ini-

rant, Jura sibi, quae Hungaris erant peculiaria, cedi poscerent? Dum non Maximilianus, sed Rudolphus Hungarorum Rex erat, ad quos nihil, seu de controversa illa electione, seu, quae inde consecuta sunt, pertinebant ullo modo, uti ex ipso tractatu patet, in quo directe dicitur, — — — castrum Lubloviae injussu Caesareae Majestatis, ac praeter voluntatem ejus fuisse occupatum, — — neutram transigentium partem de abdicatione Juris Hungariae proprii cogitasse, et tantummodo renunciationem illius spectasse, quod ex dubia electione Maximilianus Archi-Dux sibi vindicare potuisset, manifestissime elucet ex promissione, quam sua ex parte Rex Sigismundus Imperatori, et toti Augustae Domui vicissim fecit, in his verbis — — —

„Similiter vero Nos Serenissimi Poloniae Regis supra-
 „scripti Commissarii, ejusdem Majestatis suae, Ordine-
 „numque ejus nomine vicissim recipimus, promittimus,
 „spondemusque, nullo unquam tempore eorum, quae
 „ante quocunque modo intercesserunt, offensionem Se-
 „renissimum Poloniae Regem, aut Ordines retenturos,
 „eandem per quamcunque occasionem renovaturos — —
 „neque ipsam Majestatem suam, Ordinesque seu homi-
 „nes ejus, quoscunque, vi, aut armis, per se, vel per
 „submissas personas, quocunque tempore, vel quacunque
 „ex causa, colore, seu praetextu Regna Hungariae, vel
 „Bohemiae, Austriam, Moraviam, Silesiam, vel quae-
 „cunque alia commemoratorum Principum dominia, di-

„tiones, arces, oppida, villas, vel homines, aut propin-
 „quorum sociorum, vel adhaerentium ipsorum infestatu-
 „ros.“ — — Haec inter se rite collata, palam faciunt,
 in promissis ab Austriacis praestitis ne quidem de re-
 nunciatione Juris alicujus particularis cogitatum fuisse:
 utpote quum alias sequeretur, sponsione a Polonia vicis-
 sim facta itidem debuisset decedi ab Jure quoque in
 terras Austriacas: quod quidem quam absurdum sit? nemo
 non videt, quando constat apud omnes, nullo nomine
 Regum Poloniae, sibi quidquam earum Provinciarum
 arrogare potuisse.

At, si demus etiam (quamquam oppositum liquido
 demonstraverimus) Rudolphum Caesarem, et Regem in
 pacificatione Anni 1589. de Juribus Coronae Hungariae
 in Russiam, et Podoliam reapse decessisse: foret tamen
 haec cessio secundum Jura omnia sine ullo effectu, et
 fructu. Nam licet peculiaribus Litteris promiserit, se ce-
 raturum — ut Regni Hungariae Ordinum nomine Depu-
 tati, et sufficienti Mandato in eam rem instructi Proce-
 res in proximis illius Regni Comitibus — — — Juramen-
 tum juxta formulam in jam memorata transactione Or-
 dinibus praescriptam, praestent, utque Juramenti Litte-
 rae, et Instrumentum subscriptum, sigillisque Procerum
 munitum, dicto Poloniae Regi mittatur.

Haec inquam, licet addiderit, haud tamen eidem
 licuit promissorum fidem exsolvere: quum Hungariae
 Ordines, *eo nunquam permoveri potuerint*; quemad-

modum in subsecutis dein Comitiis Anno 1593, nec vestigium reperire est, ex quo colligi posset, Hungaros ad Jusjurandum illud praestandum adductos fuisse. Quin potius Decretum 7-um Anni 1596. postulata Ordinum exhibet in haec verba: „ut juxta continentias publicarum Constitutionum differentiae inter Hungariam, et Poloniam ac tredecim oppida ratione Metarum, violentiarumque, et damnorum revideantur, et rectificentur, qua de re Sua Majestas dignetur Serenissimo Regi Poloniae scribere, quia Poloni in dies magis magisque insolescunt.“

— — Quae postulationes, et quaerimoniae in sequentibus deinceps Comitiis, saepe admodum iteratae sunt.

Porro notum est, Regis, ac Imperatoris Rudolphi tempore *Hungariae Regnum electionis Jure usum fuisse*, ac propterea minime fas fuisse Regi, quin id ab Ordinibus ratum haberetur, tanti momenti jure in Rusiam Rubram, et Podoliam coronam exuere, quando in formula, ex qua in coronatione Jusjurandum dicitur, diserte notatur: — **NE QUID A REGNO ABALIENETUR,** — Ut adeo Rudolphi, siquid titulo illi renunciasset, (quod tamen factum non est) non alia fuisset conditio, quam de qua in decretalibus titulo de Jurejurando Capite 33. agitur, atque in hunc modum deciditur: — — „*Si positus in dignitate alienat Bona dignitatis, non valet alienatio, et ipsa revocare debet, non obstante Juramento de non revocando, maxime si prius jurat non alienare.* — — —

In tali casu ipsos summos Pontifices Ecclesiae Romanae Juramentum irritum declaravisse, perhibent Litterae Honorii III. Pontificis Colocensi Archi-Episcopo, et ejus Suffraganeis Anno 1220. datae — — quarum verba sunt sequentia:

„Intellecto jam dudum, quod carissimus in Christo
 „filius noster, Hungariae Rex illustris alienationes quas-
 „dam fecerit in praejudicium Regni sui, et contra Regis
 „honorem, nos eidem Regi dirigimus scripta nostra, ut
 „alienationes praedictas non obstante Juramento, si quod
 „fecit, de non revocandis eisdem, studeat revocare,
 „quia quum teneatur, et in sua coronatione juraverit,
 „Jura Regni sui, et honorem coronae illibate servare,
 „illicitum profecto fuit, si praestitit de non revocandis
 „alienationibus, hujusmodi Juramentum, et propterea pe-
 „nitus non servandum.“ — — Quam autem ne quidem
 conjecturae locus sit, quasi Ordines Hungariae in abdic-
 tionem Juris, quod cum coronae emolumentis tam arcte
 connexum erat, consenserint, ex Historia Regni Hunga-
 riae Pro-Palatini Istvánffy elucet: qui ipse inter delegatos
 memoratae Pacificationi interfuit, dum ad locum, in
 quo de restituenda Lublovia sermo est, expresse addit
 — — „quod ne cui praejudicio Juribus Regni Hunga-
 „riae foret, Legati Hungari apud collegas cautum esse
 „voluerunt“ — — — quamquam ea cautione opus haud
 fuerit, ut tantummodo majoris securitatis causa adhibita
 videri possit, quum tractatus ille Hungariae Juri pro-

prietatis in tredecim oppida Scepusiensa nulli fraudi esse potuerit.

His igitur se ita habentibus, mirandum est, Andream Olysovsky Pro-Cancellarium Poloniae, finaliter Regni Cancellarium Anno 1673. scripsisse: „*Pactis de ,elibertatione Maximiliani adjudicatam esse Polonis ,a saeculis quietam Scepusii possessionem.*“ Vix enim ab Anno oppignorationis oppidorum Scepusiensium 1412. nempe usque Annum, quo Maximilianus elibertatus est, 1589. videlicet duo saecula intercessere, et nec quidem in provocato Pacto ullum adjudicatae Possessionis pro Polonis vestigium bonus ille Cancellarius author ostendendo fuit. Magnae Mariae Theresiae juste Augustae dictae tantarum Institutionum salutarium auctori reservatum erat, non solum tredecim, vel rectius jam sedecim oppida Scepusiensa, quorum revindicatio tot Regni Comitii per Status et Ordines sollicitata est, post 360 Annos charo sibi Regno Hungariae reincorporandi, sed etiam partem Russiae Rubrae Provinciarum, in quam Jus Hungariae continuo quoque usu tituli Regum Galiciae, et Lodomeriae constanter servatur, Anno 1772. tempore subdivisionis Poloniae Coronae suae subjiciendi.

Si itaque Hungari Jus in Russiam Rubram ante adhuc sui in Pannoniam ingressum Jure fortioris, quod omnium acquisitionum esse solet exordium, assurrexit, tale usque hodie conservatum exstitisse, ex praecedaneis liquet.

Hoc enim immediate post occupationem tributis a subjugatis Populis, vel eorum Ducibus acceptis, ipse Almus jam usu coepit. Bela III. assumpto titulo Regis Galiciae, Andreas II, autem desuper Lodomeriae axiomaticate roboraverunt, ac in successores! transmiserunt, Andreas dato Ruthenis in Anno 1215. Rege in filii Colomanni persona, ostendit Regibus Hungariae fas esse, Russiae Rubrae Provinciis Hungariae obnoxiiis, pro volupe talem constituendi. Ludovicus I. Massoviam insuper ut Rex Hungariae ab Imperatore, et Rege Bohemiae Carolo sibi, successoribusque acquisitam pleno jure procuravit, et, cum Poloniae corona vigore testamenti in illum recidere debente, Russiae quoque Rubrae Provincias Juri Coronae Hungaricae obnoxias recepit. Quamvis autem Poloniae coronam post mortem in Jagellonum capitibus rutilare videamus, Provincias tamen Russiae Rubrae in Mariam, Regem Hungariae, filiam suam transiisse evicimus. Neque Sigismundus rebus Dalmaticis turbulentis se aere alieno gravare coactus, partis Hungariae per oppignorationem tredecim oppidorum Scepusiensium alienata Juri in has cessit — — — eo minus Maria Hedvigi, sorori Jagelloni Regi Poloniae nuptae, usumfructum Russiae Rubrae terrarum concedens, easdem a corona Hungariae avulsisse, censenda, ut haec allegata paterna successione easdem, ut supra diximus, sibi vindicavit, quas tamen, etsi quid Juris per successionem

in illas fovere potuisset, eadem Anno 1390. improli deficiente, ad Regnum revolvi oportuisset.

Ipsè porro Wladislaus, cui solium regale Hungaricum per Optimates Hungariae oblatum fuit, Diplomate peculiari securam reddidit Gentem, futurum, ut non tantum per Sigismundum oppignorata oppida Scepusiensiâ absque ulla renumeratione fienda Hungariae restitui debeant, sed etiam ordinando brevi ex utriusque Regni Proceribus constituendo consilio, investigatione praemissa, an videlicet quid Juris Corona Hungariae ad terras Russiae Rubrae habeat? a sententia praestolaturus; eidem Regno, ad quod pertinuissent, applicare velit.

Repetitae pluribus Regni Comitibus Hungarorum preces super tandem procuranda Regni redintegratione grande tribuunt pro Jure Hungaro argumentum, Juramenti quoque formula per Polonos per ipsum Regem Hungariae praestari desiderata, renunciationem a parte Hungariae ad Provincias Polonicas complectens, supponit, justo metu Juris Hungarorum Polonos tale Juramentum desideravisse, secus enim ipsa renunciatio per electionem tributi sibi Juris ad Poloniae coronam per solum Maximilianum Archi-Ducem plus, quam sufficiens fuisset — — quare Rudolphus Rex Hungariae una cum Proceribus Regni sui Juri, dum nullus illorum in Regem Poloniae electus fuisset, ad Juri Polonico renunciandum ita multum, et saepe sollicitati exstitissent.

Etsi tamen etiam ab amissione terrarum Russiae Rubrae multi anni elapsi sint, Jus Nationis in amissa nequaquam peremtum esse, censendum. Non enim Gentibus, sed Privatis tantum, et inter privatos praescribitur. Hinc etiam tempore subdivisionis Regni Poloniae antiquissimi Juris Patriae nostrae in Provincias Russiae Rubrae justa habita reflexio. Praetèr enim restitutas terras Scepusienses Pignori, ut vidimus, per Sigismundum locatas, eae Provinciae Divae Mariae Theresiae obtenta Galicia, et Lodomeria accessere, quae partem Russiae Rubrae constituerunt.

Quibus autem limitibus Russia Rubra absoluta fuerit? qualiter modo vocitatas Provincias his incluserit? difficilius solvendo est theorema, quam fuisset Juris in has demonstratio. Multum juvaret modernorum circulo- rum Galiciae, et Lodomeriae, ac Dinastarum, Civita- tumque Archiva consuluisse — — neque fructu careret Claustrorum, et Ecclesiarum, quo videlicet antiquitus sine securitatis Literalia Instrumenta collata scimus, per- vestigatio. Nunc sufficiat credidisse, quod obtenta Gali- cia, et Lodomeria, necdum id Juri Hungarico recidisset, quod antiquo jure recidere oporteret.

